R. P. F.

CAMILLI BALIANI

MEDIOLANENSIS DOMINICANI,

SACRÆ THEOLOGIÆ BACCALAVREI

ORATIO

Venetijs ex tempore in templo SS. Ioann. & Pauli habita, die feſto ſanctiſs. Trinitatis, dum Comitia generalia ab ordine Prædicatorum agerentur, Anno M. D. XCII.

Pro gratijs agendis Ciuitati.



MEDIOLANI, Apud Io. Baptiſtam Colonium, 1592.
Superiorum Conceſſu.

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI.

EADEM temporis anguſtia, quæ orationis huius partum edidit immaturum, effecit, vt Venetijs Mediolanum ſtatim rediturus, exemplar, quod ibi relictum erat, non modo elimare, ac perpolire, ſed ne deſcribere quidem, & relegere potuerim. at illud per partes congeſtũ, appendiculisq. notatum in manus typographi peruenit. Quædam hanc ob cauſam, in Veneta impreſsione minus emendata ſunt, & in locum minus idoneum translata, quæ illius qualecunque artificiũ obſcurarunt. Editionem itaque alteram ne mirere, Lector; hanc etenim fieri, non iniquo animo tuli, non quod oratiunculam noua editione dignam iudicauerim; ſed vt priorem, poſterior hæc editio excuſaret. Vale.

ORATIO

PRO GRATIIS AGENDIS CIVITATI VENET.

IN COMITIIS GENERALIBVS DOMINICANIS.

A FRATRE CAMILLO BALIANO Cœnobij S. Euſtorgij Mediolani Priore habita

HOMINEM ex tempore coram viris, vel mediocriter eruditis, atque etiam de re non graui dicturum illorumq; animos excitaturum, pręſtanti ingenio, ſingulari doctrina, magna dicendi vbertate; varia cum rerum, tum verborum ſupellectili ornatum eſſe oportere, nemo eſt qui ambigat. Quæ omnia cũ a me longe abeſſe cognoſcam, qui ampliſſima Venetorum ſtemmata, illorum in Deum, & Sanctos pietatem, animum erga huius noſtri inſtituti Patres munificentiſſimum, apud vi-

ros

ros, omni virtutum, & ſcientiarũ genere excultiſſimos, ſum celebraturus: mihi profecto valde timendum eſt, ne deſiderio meo, veſtræ expectationi, & maximis horum omnium Patrum meritis, mea hæc vix concepta, vixque excogitata, minus reſpondeat oratio. Hanc ob rem, mecum certe conſultius, ac ſecurius actum fuiſſe arbitrarer, ſi ab ijs, quorum auctoritate, Comitia hæc generalia reguntur, & gubernantur, tantum dicendi munus, ad alium quempiam delatum fuiſſet, qui maximæ huius Sereniſs. Reipubli. erga Dominicanam familiam ſemper, præcipue vero hoc tempore oſtenſæ, & præſtitæ liberalitati, parem & conſentaneam orationem afferre poſſet. Etenim quemadmodum a magnis nonniſi magna prouenire, mortales exiſtimant, ita maxima nonniſi a maximis laudanda, efferenda, & commendanda forent. Et ſane, ab hac totius orbis auguſtiſſima ciuitate, quæ ſperanda, quæ expectanda erant, niſi magnificentiſſima, & ſplendidiſſima? Quis verò neſciat hanc vrbem, ijs omnibus ornamentis cohoneſtatam, quæ Ciuitates cunctas reddunt, inclytas, inſignes, honorificas, locupletes, admirandas? Si enim, vt a cęlo exordiar, aſtrorum aſpectus, vrbibus, aut cõmodum afferre, aut maieſtatem conciliare valet, eandem cęli faciem, quam ipſe naſcens mundus, prima huius vrbis iacta fundamenta habuiſſe, ex temporum ratione colligunt, & ſcribunt Aſtrologi, vt intacta ſemper conſiſteret, nec niſi orbe conuulſo, & perempto corrueret. Et quibus Veneti ſuæ vrbis fundamenta iecere? Templo. Cui dicato? Iacobo, IESV Saluatori carne coniuncto, ab eoque in ſacrum duodenarium numerum cooptato, cui Chriſtum adhuc mortalem, per gloriã diuinitatis mutatum,

videre

videre eſt conceſſum. O diuinum profecto, & admirabili ſacramento plenum auſpicium. Iacobo ædem ſuam conſtituunt, & dicant Veneti, vt ſe luctatores profiteantur. Iacobus enim luctator exponitur. Verum in quos luctantes & dimicantes? in exteras gentes Italiam inuadentes, illamque armis, & tyrannide occupare, & depopulari tentantes, in ſæuos Chriſti hoſtes, in fidei perduelles, in Eccleſiæ catholicæ rebelles. Feliciora certe, & ſuperis gratiora initia habuit, hæc Venetorum ciuitas, ipſa Roma pariter admiranda. Hanc ſiquidem, vt hiſtorię tradunt, Romulus humano fratris fuſo cruore continuo extruxit, & campum ad bella nunquam defutura ſelegit. Veneti vero, non hominum ſanguine ſparſo, ſed Deo, Chriſto, Sanctiſque pijs fuſis precibus, non inhumanitate comite, ſed religione pręuia, & pietate duce, ad beneuolentiam in vrbe confouendam, ad pacem in Italia ſeruandam, ád Chriſtianam libertatem tuendã. His ſacris initijs, Deo, Dei Matri, & omnibus omnium ordinum cęlicolis innumeras ædes a populo Veneto conſtructas nõ dubitamus; ad diuina myſteria percipienda ad ſacra eloquia audienda, ad Sanctos inuocandos, ad Chriſtum colendum, ad Deum venerandum, ad noſtræ denique religionis ſacramenta, & ſacrificia celebranda. Hac autem pietate, & religione, ita cęlites ſunt oblectati, ut ex omni eorum omnium choro, aut victoriæ, & meritorum ſuorum inſignibus, aut veſtibus, aut ſacris cineribus, aut corporum reliquijs, aut integris etiã corporibus ad illam, benigno certamine ſanctaq. animi inductione ornandam, & a multis morbis recreandam e cęlis deſcendiſſe videantur. Reliquiarum enim theſauro, lapidibus pretioſis, & omni auro puriſſimo pretioſiore,

ſic

ſic ditata eſt hæc ciuitas, ut demptis quibuſdam pauciſſimis, & forte vna tantum excepta, nulla ſanctorum reliquijs locupletior, abundantiorue inueniatur. His diuinis auſpicijs cōtigiſſe eſt credendum, ſolam Venetam Ciuitatem, imperia aliena nunquam ſubijſſe. Quę etenim alia orbis terrarum Ciuitas gloriari poteſt, nullis ſe externis populis, nullis barbaris nationibus ſeruiuiſſe? Immo vero, qui rerum interdum potiti ſunt interdum etiam ſeruierunt. Siquidem legimus a Medis Aſſyrios, a Perſis Medos, a Macedonibus Perſas, a Romanis Macedones, a Barbaris autē Romanos ſubiectos fuiſſe; At ſoli Veneti, ſua iuſtitia, virtute, cōcordia, diuino munere patriam, libertatem, incolumitatem ſemper tutati ſunt. Quin his primordijs factum eſt, vt hæc Ciuitas, viris, opibus, delitijs turribus, artibus, diuitijs, viribus, virtutibus, alijſque huiuſmodi ornamentis, ita adaucta, & amplificata fuerit, vt orbis miraculum, Imperij Romani æmula, mundi theatrum, vnicum nobilitatis perfugium, vrbium regina, ſingulare libertatis domicilium, fœnix ciuitatum, omnium gentium tranquillus, atque tutiſſimus portus: firmum Italici nominis propugnaculum, præclarum, & admirabile (vt ita dicam) monſtrum, merito cenſeatur, & prædicetur. O Ciuitatem clariſſimam, & omnibus Muſis chariſſimam; quæ ut omnium gentium, populorum, & nationum dulce, benignumque eſt hoſpitium, ita centum linguis prędità (vt cum Poeta loquar) deſideraret laudatorem. Quod ſi homini ſacro, apud viros ſacros, & in loco ſacro dicenti, a ſacris ad prophana traducere liceret orationem, Deos cunctos ad hanc ciuitatem, vti ad nouum, & nullis ſeculis uiſum miraculum conſtruendam, conueniſſe, & conſpiraſſe, affirmarem.

rem. Facile enim dici, ac perſuaderi poſſet, quemadmodum olim, vt Poetæ de Pandora cecinerũt, quæ tot erat hominibus incõmoda allatura, omnes ſigillatim Dij ſuis eam muneribus ornarunt, ita eos ipſos ad hanc ciuitatẽ, quæ tot eſſet humano generi commoda importatura, ſuis omnes donis, & quaſi prærogatiuis illuſtrandam ſe contuliſſe. Ac primum, dicerem, rerum omnium parentem naturam, ſitum illi opportunum, & inexpugnabilẽ prope Flaminiam, quę vulgo Lombardia dicitur, ab hiſtoricis florem, & robur Italiæ nuncupatam præparaſſe, vt ab hoſtibus tuta cõſiſtere, ſocijs auxiliari, & a finitimis in rebus neceſſarijs adiuuari poſſet. Dicerem Palladem omnes artes inuexiſſe, omnemque prudentiam reip. gerendæ, totius quoque vrbis adminiſtrandæ artificium, & potiſſimum armamentarij inuſitatum, ac fere diuinum opus conſtituiſſe. Dicerem Vulcanum ſororem conſecutum, ſuis cum terrigenis miniſtris tormentorum diuerſa, & mirifica genera confinxiſſe. Dicerem quoque Venerem, cum marito, formam, & pulchritudinem elargitam, non ſolum vniuerſæ vrbi, ſed ſingulis etiam illius ciuibus yt nihil ſub cęlo grauius, nihil auguſtius, nihil imperio dignius excogitari queat. Dicerem inſuper Martem, ac Bellonam pari ſtudio, & animi contentione, ad hanc ſuis muneribus cumulandam conueniſſe, ac ſummam animi magnitudinem, & in bellis etiam gerendis felicitatem tribuiſſe, cuius rei teſtes adhiberem innumerabiles virtute partas ab ea, reportataſque victorias. Dicerem Apollinem poetices ſtudiũ, & Muſarum ſacrũ furorem impartiſſe, atque Medicinæ, quaſi quandam ſedem collocaſſe, & præclariſſimorum Medicorum, per totum terrarum orbẽ celeberrimũ collegium conſtituiſſe.

Dicerem Mercuriũ eloquentiam omnibus numeris abſolutam, ipſis pene infantibus, ita conceſſiſſe, vt neque in orandis cauſſis, neque in legationibus obeundis præſtantiores vſquam exiſtant oratores. Iiſque non contentum mercaturæ quoque omnes artes, atque rationes oſtendiſſe, ut maiores nulla ciuitas opes, exteris, ac longinquis regionibus importet. Dicerem ſummum Iouem diuinam hanc Reip. formam tanquam omnium perfectiſſimam cõmonſtraſſe, & diutiſſime imperandi vim inſtinctu, atq; afflatu ſuo infudiſſe. Dicerem Saturnum ipſum depoſita omni nocendi voluntate, conſultandi de maximis rebus ſapientiſſime ſenibus tribuiſſe facultatem, & diuinam quandam prouidentiam, qua tanquã e ſpecula, futura mox omnia proſpiciant, & contemplentur. Dicerem tandem Deorum omnium parentem Berecinthiam, cum a ceteris omnia eſſent bona donata, vt ea ſibi eſſet ſimilis conceſſiſſe. Vt enim illa turrito diademate incedit ornata, ita hæc, primum turribus, & pyramidibus ad cęlum inuicto capite erigitur: deinde quadam quaſi turrium corona, tot in quam præclariſſimis ciuitatibus, Patauio, Brixia, Verona, Vincentia, Bergomio, Crema, Teruiſio, Vtino, & alijs quampluri mis ſepta, & munita fulget. tum poſtremo, tot tum belli, tum pacis artibus florentiſſimos Heroas, quaſi Deos quoſdam quotidie edit, vt noui ſuo in genere Martes, Mercurij, Ioues dici poſſint. Quid commemorem huius Vrbis ſitus opportunitatem, cęli clementiam, terræ halitum, maris afflatum, templorum maieſtatem, ædificiorum magnificentiam, Senatorum grauitatem, tot vias, tot pontes, tot cymbas, tot nauigia, tot triremes, Bucentaurum, nauale, armamentum, aggeres, curias, fora, portus, tor-

menta

menta bellica, ponti mænia, gentium concurſus, & alia huiuſmodi, & oratione, & carmine decantata, nec tamen adhuc ſatis pro dignitate celebrata? Quid commemorem huius potentiſſimi Principatus admirabilem Theſaurum tot gemmis ipſas ſtellas fulgore vincentibus, tot lapidibus cuiuſcunque generis pretioſis, tot pyropis noctem die ſplendidiorem reddentibus, tot aureis ſtatuis alijſque rebus immenſi incomparabiliſque pretij locupletiſſimum? Quid virtutes ampliſſimas Patrum Sereniſſimi huius Principatus recenſere enitar, & perſequi? Quis enim tanta eloquentia, tantaq; dicendi facultate præditus inuenitur, qui oratione comprehendere poſſit, ipſorum in agendis rebus prudentiam? in audiendis querelis humanitatem? in ſubleuandis egentibus munificentiam? in Dei cultu rectam fidem? in diſſidentium conciliandis animis peculiarem gratiam? in bello, rebuſque aduerſis æquo animo perferendis fortitudinē? in actionibus humanis temperantiam? in flagitioſis perſequendis ſeueritatem? in omni denique opere, iuſtitiam, & æquitatem? Hinc omnium rerum in hac vrbe copia, hinc animorum tranquillitas, hinc virtus extollitur, hinc nullus inops, hinc vitia extirpantur, hinc præſtanti homines animo honorantur, hinc pax vrbis, hinc nulla homicidia, hinc optime de Rep. meritis viris ſupremi dignitatis gradus conceduntur, hinc ſancta in Deum pietas, hinc viri præclari ſummis præmijs afficiuntur; hinc rerum quies; hinc neminem ob virtutem in inuidiā vocari, & ne minimis quidem beneficijs pręmia denegari clariſsime conſpicimus, hinc Turcarum Tyrannus rege Mithridate potentior, Rege Crœſo ditior, Nerone crudelior, ſæpius eſt

propulſatus. Hinc tandem tot, opes & diuitię, ut neſcias verum Venetiæ, quod in ſinu Maris poſitæ ſint, diuites exiſtant, an (& forte melius) pontus ipſe ſit locuples, quod brachijs ſuis Venetias cingat, & amplexetur. Ouere terque, quaterq; felicem, & fortunatam Remp. Neque illud omittendum videtur, quod maxime hanc Remp. illuſtrat. Venetorum Principatum cum Romano Pontificatu, pluribus rationibus, quamaptiſſime conuenire; quod illius præſes electione prouehatur, quod iuſtitia, conſilio, & legibus vtatur, quod in religione Chriſtiana, & ortum ceperit, & incrementum, quod pacis artibus, non minus quam beilicis ſit auctus, quod ex cęlitibus Marco glorietur patrono, qui diſcipulus, & interpres Petri, quod audierat ipſum referentem rogatus Romæ à fratribus Euangelium ab eodem Petro poſtea approbatum conſcripſit. Vnum referā, quod ſi deſint cetera, poteſt ſufficere ad Venetorum gloriam perpetuo celebrandam, Venetam Remp. maximo difficillimis temporibus Eccleſiæ Romanæ vſui fuiſſe: ſiue contra Barbaros ob religionem tutandam, propagandamue paratiſſimis claſſibus, vt ſub Calixto ſecundo, Clemente tertio, Innocentio item tertio, ac Clemente ſexto, pluribusque alijs Pontificibus; ſiue inter Latinos ob Apoſtolici throni dignitatem conſeruandam, augendam, & Eccleſię ditionem pacandam, maximis opibus, inſtructiſſimis exercitibus, ſummis ſtudijs. Ipſæ pictæ tabulæ, ipſi (vt ita dicam) parietes, loquuntur, & digito oſtendunt, quid egerint Veneti in concilianda pace, ingenti cum Eccleſiæ honore inter Alexandrum tertium, a quo innumeris priuilegijs ſunt decorati, & Federicum primum crudelem eiuſdem Pontificis hoſtem.

Notum

Notum eſt, quam acerrime tutati ſint partes Gregorij noni, contra Federicum ſecundum Romanæ Eccleſiæ rebellem. Non ignotum eſt, quibus officijs Innocentium ſextum, ſiue eius Legatum Aegidium Cardinalem cum reliquis ſocijs in recuperandis Eccleſiæ vrbibus fuerint proſecuti. Non opus eſt referre, quo ſtudio, quibus opibus, quibus auxilijs Eugenij Quarti, Pauli ſecundi, & Sixti quarti fœdera ſint venerati. Nouiſſime vero quam atrox fuerit bellum apud Naupactæum ſinum pro Chriſti gloria, Pontificis Maximi, ſanctiſſimę, ac feliciſſimę recordationis Pij Quincti hortatu ſuſceptū, luce clarius patet. In quo inter reliquos, Sebaſtianus Venerius, eo tempore Venetæ claſſis Imperator fortiſſimus, verus Machabæorum imitator, inter confertiſſimos hoſtes dimicans, vniuerſam claſſem ſibi concreditam, & commiſſam ad referendam victoriam prudentiſſime comparauit, & inſultantes vehementius Chriſti nominis hoſtes, & inter Chriſtianorum militum claſſes inſolentius volitantes mirabiliter compreſſit, vicit, trucidauit. Cuius quidem percelebris victorię fama, totū peragrauit orbem, nullaque vnquam obliterabit vetuſtas. Ac certe quid felicius, quā pro Chriſto ſanguinem profundere? Quid fortius quam hoſtem potentiſſimū vincere? Quid præclarius quam tyrannum formidoloſum longe arcere? Hęc omnia aliaq; innumerabilia pręclara facinora, ſumma cū laude, maximo honore, & ingēti gloria fecere Veneti. Cum itaque Chriſtiana orta ſit hæc ciuitas, catholica ſemper vixerit, & nunc religioſiſſime viuat, & optime de Chriſtiana Rep. quotidie mereatur, diuinitus certe contigiſſe opinor, vt generalia ordinis noſtri Comitia alibi nō ſint niſi in ipſa celebra-

ta.

ta. Si enim huiuſmodi Comitia ad antiquam noſtri Dominicani ordinis formam, aut vbique ſeruandam, aut alicubi renouandam, aut interdum introducendam conuocantur, vbi quæſo opportunius erant indicenda, quam apud Venetam optime inſtitutam Rempub.? Vbi vero nobiliore apparatu, maiore applauſu, ſplendore, lętitia, & religionis commodo celebrari poterant? In Gallia? in Germania? in alia forſan Italiæ vrbe? At Gallia bello ardet, Germania hæreſis peſte inficitur, Italia pluribus in locis, rerum incredibili penuria, & egeſtate affligitur, Venetijs non miſera fames, ſed magna rerum omnium ad victum opportunarum copia viget. Venetias non hæreſis commaculat, ſed fides catholica illuſtrat. Venetiæ non bello graſſante concutiuntur: at pacis, quæ rerum omniũ vita eſt, gaudio afficiuntur. Vbi aũt vos Dominicanę familiæ Patres præſtantisſimi, humanius excepti, iucundius viſi, ſplendidius recreati, locupletius donati, frequentius auditi fuiſſetis? Veſtrã maieſtatem Veneti Viri clariſsimi, veſtrum ſplendorem, pietatem, munificentiã, ad ipſas noui orbis finitimas regiones fama velox feret, diuulgabit, celebrabit; animoſque hominum ab Eridano ad ipſum vſque Gangem commorantium, ad huius tot miraculis plenę vrbis inuiſendæ, deſiderium commouebit. Vt vero in portum mea ſe tandem recipiat oratio, nihil aliud mihi ſupereſſe video, quam vt vobis gratias agam, non quas deberem, quas optarem, quas omnes hi ampliſsimi Patres actas vellent, quas innumera in nos, veſtra beneficia poſtularent; ſed quas poſſum, quas ingenij mei imbecillitas dictat, quas animus vobis perpetuo obſtrictus ſuppeditat, & ſubminiſtrat. Gratias igitur vobis ago immortales, quod

his noſtris generalibus Comitijs, tantam tum ex publico, tum ex priuatis ærarijs ſtipem obtuliſtis: quod tot Patres ampliſſimis veſtris muneribus cumulaſtis quod templum noſtrum his diebus honeſtiſſima veſtra præſentia condecoraſtis; quod ad feruentiſſimos diuini ſermonis præcones auidiſſime audiendos frequentiſſimi conueniſtis; quod noſtris litterarijs palęſtris, non tantum præſentia, verum etiam argumentationibus veſtris, doctiſſime, acutiſſime, benigniſſime fauiſtis; quod ad noſtram ſolemnem, & tot Patrum multitudine numeroſam per vrbem veſtram ſupplicationem, tam pij, tamq. læti, ad vias, ad ianuas, ad turres, ad feneſtras, ad pontes, ad templa, ad plateas confluxiſtis: quod tot Dominicanos religioſos viros, qui ex omnibus fere orbis terrarum prouincijs huc aduenerunt, tam hilari vultu, & tam benigna fronte excepiſtis. Et quos viros creditis vos excepiſſe Viri potentiſſimi? Excepiſtis Reuerendiſsimū Magiſtrum Fratrem HIPPOLYTVM MARIAM a Monteregali, ex antiquiſsima Beccaria ſtirpe progenitum, & poſt decurſas breui tempore omnes Dominicani ordinis dignitates, ad ſummam totius Religionis ſedem, atque principatū, magno cū totius noſtræ familiæ gaudio euectum. Cuius doctrinam, prudentiam, ſapientiam, eloquentiam, conſtantiam, pietatem, humanitatem, vigilantiā, vitæ ſanctitatem, morum honeſtatem, aliaſq; egregias virtutes, & merita enumerare, prolixa non poſſet oratio. Cuius multas animi dotes, ex ipſa eius vultus, & faciei venuſtate veneranda; vel ipſi oſcitantes facile poſſunt animaduertere. Excepiſtis perquam reuerendum

Magi-

Magiſtrum Fratrem Ioannem Vincentium Aſturicenſem, totius noſtri ordinis Procuratorem diligentiſſimũ, virum propter ſingularem doctrinam, & morum probitatem in vrbe, Curiaq; Romana cultum, & obſeruatum: a Patribus purpuratis illius Vrbis vnice dilectum; Philippo Hiſpaniarum, & maximarum Prouinciarum Regi catholico ſingulariter charum, & florentiſſimæ Salmanticenſis Academię cathedralem (vt appellant) celeberrimum. Excepiſtis quot Patres, tot Dominicani ordinis lumina ſplendentia, tot orbis faces lucentiſſimas. Excepiſtis, viros, qui prædicationibus ſuis multos a vitijs ad virtutes reuocarunt, litterarijs concertationibus fidem illuſtrarunt, aſſiduis precibus, vos adiuuerunt, & perpetuo adiuuabunt. Excepiſtis denique homines, qui pro magnitudine veſtrorum in ſe meritorum, ſanctiſſimam, & indiuiduam Trinitatem, quæ rerum omnium creatrix eſt, & moderatrix, cui inter alios dies hic celebris ab Eccleſia dicatur, cuius inſtinctu Comitia hæc generalia huc ſunt conuocata, & cuius auxilio ad finem iam ſunt fere perducta, effuſis lachrymis precabuntur, & totis præcordijs obſecrabunt, vt hanc Sereniſſ. potentiſſimamque Remp. ſanctam & inuiolatam, vt ſemper fuit cuſtodiat, contra hoſtes protegat, fidem catholicam in illa contineat, pietatem conſeruet, libertatẽ defendat, concordiam foueat, vires, opes, & fortunas ad hoſtes profligandos adaugeat, dominatum amplificet, imperium dilatet, virtutes multiplicet; quibus ornata ad perennẽ, & nunquam perituram gloriam felix tandem poſſit peruenire. Dixi.